


BIBLIOTEKA

Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVI

3245

028



Anno domini M. D. Lx^o

ECLOGA GRA

TVLATORIA IN FOELICEM VR=

bis Cracouia ingressum, Reuerendissimi, & Illustris
Principis & domini, D: Berardi Bonioannis Episco-
pi Camerini, Sanctissimæ Sedis Apostolicæ ad
Serenissimum & Potentissimum SIGismun-
dum Augustum Regem Poloniæ, Magnum
Ducem Lithuania & c. Legati dignissi-
mi, studiosorum promotoris
munifici.

Scripta à Martino Rebigero Glogouienſe Silesio.



13.876

MAGNIFICO EXCELLEN

tissimoq; viro, Domino Nicolao à Schadek, Sacrae
Theologiae Doctori, Academiae Cracouiensis Re-
ctori vigilantissimo, eiusdemq; vrbis apud tem-
plum Cathedrale Canonico & c. Patrono
suo obseruandissimo, S P D. seq; suaq;
studia commendat.

Salue, Palladia qui dicis iura cateruae,
Musarum celebris lausq; decusq; chori.
Cuius terrarum laus est celebrata per orbem;
Laud que non aliqua est interitura die.
Si uenerande senex animo in tibi nulla recurfat
Cura, & iam tractas non grauiora, precor,
Accipe que mitto uultu tibi dona benigno,
Pignus sunt animi uir Reuerende mei.
Non Gnydia enumerant haec Diue carmina furta, haud
Continet obscenos pagina nostra iocos.
Praesul Apostolica ut uenit de sede Legatus
Foelix hanc urbem in, carmina nostra canunt
Vilia sunt fateor, nil nam est in carmine, gratum,
Atq; aures non sunt digna ferire tuas.
Attamen haec placido tu suscipe carmina uultu,
Saepe & superi munera parua probant.
Stamina lam fice tribuant tibi longa sorores,
Ut uiuas Christo uir uenerande, Vale.

Magnificentiae tuae,

addictissimus,

Martinus Rebigerus
Glogouienfis Silesius.

XII. Qu. 3245

INTERLOCVTORES SVNT

Mopsus & Corydon rustici.

MOPSVS.

Dic mihi, quod nostras numen te linquere terras
O Corydon iussit, procul & discedere ab oris,
In quibus optati spectabas ora parentis?
Complectiq; vlnis licuit cui Phyllida amicam?
Quin quoq; vbi hoc vitam duxisti tempore, dicis.
Mopse, meos inter nunquã reticende sodales, Cory:
Quam ciues miseros deludant semper agrestes,
(Patria nos duri bobus quod colimus arua,
Viuere nosq; domi dicant Bachanalia semper,
Non alias vrbes, alias non visere terras)
Nota tibi, & mecum doluisti sæpe recordor.
Scis tu etiam, ruris quoties præfectus abesse
Hinc solet, vt Domini curet cito iussa, parentem
(Nam penes hunc solũ est vis & suprema potestas).
Interea nostrum præscribere iura Colono.
Vt varios igitur possim cognoscere mores,
Atq; vicissim olim tumidos eludere ciues,
Turpia qui nostræ dicunt conuitia genti,
Spectare & claras vrbes, non sordida rura,
Atq; humiles habitare casas, semperq; Capellas

A ij Pascere

Pascere, tunc patriæ fines, & dulcia rura
Liqui, (quæq; fuit tanta hæc mihi cura videndi).
Vrbis Grache tuæ præclaræ mœnia quæro.
Hic illos vidi iuuenes, o Mopse senesq;
Magnatesq; viros, è queis modo millibus vnum
Si memorare velim, forsan perchare sodalis,
Ante diem clauso componet vesper Olympo.
Urbanos noui proscindere ruris alumnos, Mops:
Ipse, licet raro hac commisi prælia dextra,
Attamen ex multis hortabar millibus vnum,
Qui simplex hominum genus, & quod fallere nescit,
Illusit, mecum vt misceret prælia solus.
Ille vbi me fortem vidit, nullumq; timentem
Turpiter aufugit, neq; enim sine numine Diuum:
Tanto etenim cœdis flagrabam profusus amore,
Fecissem vt patrias nunquam redisset in oras.
Sed mihi, te rogo, hæc ediffere vera roganti
Conspicuum in tota vidisti quid precor vrbe.
Nam si non vulgi falsa est sententia mentis,
Ista noui vrbs aliquid semper præclara reportat.
Hic igitur mecum frigus captabis opacum,
Nam Phæbœa nimis feruet nunc aurea lampas.
Incipe iam Corydon, Mopso res grata futura est.
Vrbē Grachouîã quæ am dicunt, Mopse, putauî Cory:
Stultus ego huic nostræ similem, depellere scetus

Pastores.

Pastores ouium teneros, quo sæpe solemus,
Verum hæc tantum alias est inter clarior vrbes:
Quantum Pana ferunt alijs præstare canendo.
Alitono vastum frenat qui legibus orbem,
Hic sacras ædes pietas construxit auorum,
Templa Deis & cœlitibus per multa: Sabæo
Thure calent aræ, diuino numine plenæ.
Vidimus atq; domos nostris Mopsæ o similes haud,
Quas tegit (o miser fateor nos) canna palustris.
Singula quid referam? nil non memorabile vidi:
Hæc habet vt dicas totus quæ continet orbis.
Exoptata tulit mihi lætor gaudia, Iuli
Sed duodena dies (o lux gratissima salue).
Ausonia procerum magna comitante caterua,
Relligionis honos, venit de sede, Sacerdos.
Pande tuas portas celebris Grachouia, pande.
Latas Sauromati voces ad sydera iaētent.
Nescio quæ tacitū pertentant gaudia pectus Mopsæ:
O Corydon, rogitō sit quare ingressus in vrbe:
Quidue petat? dicas, & quis deduxit euntem?
Hæc breuiter dicā memori tu mente reconde. Cory:
Clarus inoffenso processit lumine Titan,
Latificusq; dies fulsit sine nube serenus,
Cum pietate grauis sese tulit obuius heros,
Sarmatici Regni qui est Cancellarius, atq; hunc

A iij Nobilium

Nobilium præclarus sese exercitus addit;
Quos penes est etiam summi custodia templi,
Prælati, Canonumq; viri, hunc deducere gaudent,
Conspectuq; frui, sic dextras iungere dextræ,
Eius mellifluas audire, & reddere voces.
Et iam tempus adest, venit cum gratus in urbem,
Et Franciscæ tui, quærit Pallatia cætus.
En uenit (fratrum & secum longissimus ordo).
Vir pietate grauis, doctrina clarus & annis,
Et prior, his Dominum dictis, compellat amicis.
Expectatus ades nobis Amplissime Præsul,
Fœlix ista dies niueo signanda lapillo.
Quis Reuerende pater per tanta pericula casus
Te insequitur? quæ vis te nostris applicat oris?
Vel fidei (tua quæ est pietas) succurere lapsæ
Catholicæ cupis? hoc plorans Ecclesia te orat.
Quas sacras ædes pietas construxit auorum,
Has nunc hæredes inuadunt more luporum,
Defunctis patribus successit praua iuuentus,
Quæ valuere ruunt quorum proh consilio nunc.
Sis fœlix nostrumq; leues vir clare laborem.
Sic memorat Dominum simul in cõclauia ducit.
Postera lux oritur, medium sol lumine cœlum
Confecit, iam exempta fames, mensæq; remotæ,
Confluxere regunt qui homines Collegia docti,

Præsulis

Præfulis atq; voluit præclari cernere vultus .
Ingreditur templum iuuenum comitante caterua ,
Et primum superis precibus de more solutis ,
Conuocat in medium Doctores , atq; Magistros ,
Hos studiosorum sequitur longissimus ordo .
Postquam introgressi , & coram data copia fandi ,
Maximus Obremski placido sic pectore cœpit .
Iam te post varios casus terræq; marisq;
Aspicimus tandem , o Indulgentissime Præful ,
Dñi tibi propiti , tua sit præsentia salua .
Aggredere o magnos aderit iam tempus honores .
Pro sede Ausonia magno rogo robore certa .
Nec dubita , nam Sauromati qui seruat habenas
Regni (primates etiam) tua vota sequetur ,
Pontificesq; viri , quos Sarmatica ora veretur ,
Haud te permittet frustra has venisse sub oras .
Seq; suosq; tibi commendat Musa penates ,
Hanc rogo (namq; potes) cunctis defende periclis .
Conticuit tandem , factoque hic fine quieuit .
Conticuere omnes , intentiq; ora tenebant ,
Tum breuiter Præful doctus sic ora resoluit .
Soluite corde metum , tristes secludite curas ,
Res dura , & veræ proh religionis aui tæ
Iam neglectus honor , summum nunc talia cogunt
Pontificem moliri / & Reges mittere ad omnes .


Qui

Qui pia saluifici sectantur dogmata Christi.
Quamprimum Octobris nobis lux prima refulget,
Synodus in uestris (inquam) celebrabitur oris.
Ut pater, vr natusq; vnum est cum flamine sancto:
Sitq; etiam concors sic opto Ecclesia sancta.
Qua; uia potero vestras ornare Camœnas
Hoc faciam, pro meq; preces vos fundite Christo.
Talibus orabat fecitq; hoc carmine finem.
Mopse vides nobis redeunt Saturnia regna.

Christe puer, matris dilectæ, immensa voluptas,
Flamine quæso regas hunc sancto, & suffice vires
Fac afflictæ prius viuatq; Ecclesia dignis
Et tibi pro meritis decantet carmina grata.
O Corydon Corydon dulcis facûdia lingue Mops:
Est tibi, detq; Deus pax, vt concordia semper
Plus possit veriç fides quàm sæua Tyrannis.
Desine, grandæui & subeas nunc tecta parentis,
Aduentu mihi crede tuosolabere egenum.
Nulla dies abit, in qua non sic ore profatur,
O Corydon, torques absens cur quæso parentem?







8105

6

